



Universitätsbibliothek Paderborn

**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

Iacobo Rospigliosio, Clementis IX. Pont. Max. Fratris Filio. Ob receptum è
Belgio patronum veterem, ac Romam ad sacram Purpuram euocatum,
Ghibbesius aram non iam Fortunæ dominæ casus, sed Virtuti ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

94 IAC. ALB. GHIBBESII
Marsyæ ritu Cromoëllus vtrem

Præstet habendo !

Da, puer, plenos calices in orbem ;
Redditus septem Carolus bibatur :
Luce quid sacrâ potius GEORGI
Fecerit Anglus ?

IACOBO ROSPIGLIOSIO,
CLEMENTIS IX. PONT. MAX.
Fratri Filio.

Ob receptum è Belgio patronum veterem, ac Romanum
ad sacram Purpuram euocatum, Ghibbesius aram non
iam Fortune dominae casus, sed Virtuti Reduci, que
meritorum est spectatrix, exultabundus statuit.

O D E X.

O Mine, & voto, precibusquè tractus
Gaudia instauras, IACOBE, Romæ ;
Post coronatum Patruum datus
Iura Quirino.

Quin ad extremas moderamen oras
Rex feres latè minor, obsequenter
Aureâ duicens populum catenâ
Herculis instar.

Illa vis linguae micat, illa mentis,
Illa divini rapit aura vultus,
Fortior Musis, & agente tigres
Fortior Orpheo.

Nam quod argutæ melos Hippocrenes
Pulsibus certet benè temperati
Pectoris? quondam potuere chordas
Vincere fibræ.

Ignium est yetè Sanius rotantum
Iste concentus : nequè fabuloſo
Stat fides cœlo, Siculâ quod iuit
Arte per horas.

Inue-

Iauenit stellas animus serenus ,
 Vel facit : totum gerit intus axem :
 Cui quies semper comes, & voluptas ,
 Et iocus omnis .

Talis assistit tibi, clare Princeps ,
 Fidus heroi Genius : remotis
 Quod foret mirum generosa Belgis
 Cernere facta .

Vnde centenis grauidum trophæis
 Magnus acciuit Pater, ut curuli
 Per viam sacram vehereris albâ ,
 Martis in vrbe ,
 Ipse palmato rubicundus ostro ,
 Proximus, turbâ comitante, sanguis :
 Dùm sonat plausus, feriuntquæ lœtæ
 Sidera voces .

Sepè præcepit rudis herba messem, &
 Spes boni tempus facit ire præsens :
 Sic tui lucro reditus Quirites

Ante fruuntur .

Quos dies promunt, duce te, beatos !
 Quos dies condunt l' sibi quisque regnum
 Deuorat iam nunc radiantis æui
 Diuite venâ .

Candidas CLEMENS reparauit artes
 Sanctus immensi moderator orbis :
 Tu graue exemplum solides, memento ,
 Subditus Atlas .

Iuverit noxæ statuisse pœnam ,
 Præmio rectum decorare digno :
 Iuverit probri facilemquæ laudis
 Noscere ciues .

Omnis edicti fore enim tenacem
 Certius gentem, dominisque pronam
 Fascibus, cum lex proceres & imos
 Ceperit æqua .

Publicæ par res erit hæc Platonis ,
 Tu reges quandò Sapiens . Faciat

96 IAC. ALB. GHIBBESII

Pace cum longâ Numa, praeualebunt
Otia nostra.

Dexter ô adsis igitur, nec almæ
Differas urbis decus, aut precantum
Vota : tam nullis adamata nautis
Stella resulfit .

Hic ego, spretâ vice fortis, aram
Pono Virtuti reduci : sit illa
Numen Augusti, meritis dicabo
Thuris honorem .

DIALOGVS
GHIBBESII ET PSYCHES.

Missis poetis studijs, quæ recreant animum, anime negotio, quod magis urget, vacare in posterum unice constituit.

O D E X I.

GH. **D**Vm certo tibi fœdere
Hærebam socius, nec bona mutuam
Conferre abnueras opem ;
Auroræ potui spernere Phosphorum .

Ps. Dùm non mentem aliò leuis
Vertisti, nequè erat post Polyhymniam
Psyche ; tunc tua candidè ,
Vel Solis potui spernere Cynthiam .

GH. Siren cantibus efficax
Vocisquè & citharæ Pieris attrahit :
Quam vates docilis sequar
Mulcentem tremulo carmina pollice .

Ps. Illix gratior artium
Me cœli recreat Christus imagine :
Quem per dura sequar crucis
Pingentem roseo sidera sanguine :

GH. O factum benè ! tu mihi ,
Psyche, rursùs eris pro Polyhymniâ :